

tibus aliquotis & æqualibus) semper est extra illam aliam, & aliam, nunquam accipiendo terminum, ita ut non possit tantum accipi, quin adhuc amplius superfit accipiendum. Confirmatur: Deus est infinitus, & tamen Deus est Ens reale, ergo infinitum est ens reale.

Decimum.

*Decimum* si mundus esset ab æterno, ut voluit Aristoteles, iam essent infinitæ animæ actus, sed potuit saltem Deus condere mundum ab æterno, ut admitunt omnes Thomistæ post D. Thomam, & ut videbimus sequenti disputatione, ergo si Deus condidisset mundum ab æterno, iam foret actu infinitum. Confirmatur: si Deus condidisset infinitos Angelos, elucissent infinitas intellectiones, & proinde fecissent infinitum; Deus autem potest facere quod fecissent illi Angeli. Item si aliquis Angelus esset ab æterno, iam elucisset infinitas intellectiones.

Undecim.

*Undecimum*. Postho vno oppositorum in rerum natura, poni potest & aliud, ut communiter fatentur Philosophi; sed de facto datur in rerum natura infinitum priuatiuum, ergo dabile erit infinitum positium. Maior patet nam omne priuatiuum supponit positium, in quo fundetur. Minor quoque est communior inter Theologos dicentes, peccatum esse infinitum, seu habere infinitam malitiam, cum peccatum sit offensa Dei infiniti, accipiatque suam enormitatem à Dei magnitudine, quæ cum sit infinita, offensa quoque erit infinita.

Duodecim.

*Duodecimum*. Nisi v. g. charitas posset augeri in infinitum actu; hoc esset, quia haberet terminum de se, & essentialiter; sed hoc non: Probatur: vel haberet terminum ex parte sui, vel ex parte agentis, vel ex parte susceptibilis: non ex parte sui; cum enim sit quadam participatio charitatis infinitæ, & charitas infinita non habeat terminum, sequitur quod neque charitas participata: non ex parte Dei, quia virtus Dei non est limitata; non etiam ex parte susceptibilis, cum susceptibile habeat capacitatem obedientialem infinitam ad recipiendam charitatem.

Confirmatur: si Charitas haberet terminum, ponatur intensa in quantum potest intendi: tunc illam habens non posset mereri amplius, ideòque esset deterioris conditionis illo, qui non haberet ita intensam charitatem. Adde quod actus charitatis, de se & essentialiter, est meritorius.

Decimum tertium.

*Decimum tertium*. Omnia possibilia Deus potest reducere ad actum, sed possibilia sunt actu infinita, ergo potest Deus facere infinitum actu: maior videtur patere; minor verò probatur: tot sunt possibilia, quot modis imitabilis est essentia Diuina à creaturis, sed est imitabilis infinitis modis; quia tot modis est imitabilis, quot continet eminenter entia; cum autem ipsa sit infinita actu, continet eminenter entia infinita actu, ergo infinitis modis est imitabilis.

Decimum quartum.

*Decimum quartum*. Potest facere Deus, quod congruit naturæ rerum, sed finitas & infinitas, cum sint proprietates quantitatis, congruunt naturæ quantitatis, ergo sicut Deus potest facere quantitatem finitam, ita & infinitam.

Decimum quintum.

*Decimum quintum*. Plus potest Deus facere, quam noster intellectus cogitare, sed noster

intellectus potest cogitare, & concipere infinita; possumus enim concipere quandam multitudinem, quæ non habeat principium, nec finem, cui nihil possit addi, nihilque ab ea detrahi, & sic concepta, erit infinita: Maior verò patet, quia cum noster intellectus sit multo limitatior potentia, quam diuina potentia; evidens est, quod quicquid poterimus intelligere, poterit Deus facere; intelligimus autem infinitum; imò primum omnium infinitorum, nempe Deum, quem ut infinitum possumus cognoscere, licet modo finito.

Decimum sextum.

*Decimum sextum*. Si daretur albedo extra subiectum per se subsistens, quæque esset tota essentia speciei albedinis, illa esset infinita; Idem dic; si poneretur hominem in rerum natura simpliciter subsistere, importantem totam naturam speciei, tunc esset infinitæ perfectionis; id verò potest Deus facere, ergo potest facere infinitam perfectionem creatam: imò secundum Thomistas, qualibet natura Angelica specifica, est tota sua species, cum ex eorum opinione, tantummodo detur vnum indiuiduum pro qualibet specie Angelica.

## CLYPEVS SECVNDVS.

## Rationes quibus probatur impossibilitas infiniti actû, quacunque Virtute.

**R**ima sit: si produceretur substantia infinita, iam illa esset illimitata; omne autem illud limitatum est independens; at Deus nihil potest facere à se independens, alioquin illud independens esset Deus, quia esset ens supremum, & sic essent plura entia suprema.

*Secunda est* de quantitate continua, ex hoc fundamento Mathematico: lineæ ductæ à Centro, quo magis protrahuntur ad partem aduersam, eo magis distant inter se; Deus ergo protrahat illas lineas in infinitum, & postea in extremitate vtriusque lineæ, ducatur linea transversalis; illa linea transversalis debet esse infinita, & tamen erit clausa duabus lineis, sicque limitata: repugnat autem aliquod infinitum esse limitatum: ergo evidens est repugnare dabilem quantitatem continuam actu infinitam.

*Tertia*. De quantitate discreta: Deus ex suppositione faciat numerum infinitum: quero, vel aliqua vnitas poterit addi illi numero, vel non? quod possit addi, patet, quia nulla est repugnantia, quin adhuc vna reperiat vnitas: Item vltima vnitas poterit detrahi ab illo numero, sicque aliquid detrahetur infinito, quod repugnat. Deinde formalitas numeri ab vltima præsertim petitur vnitate, ergo dabitur vltima vnitas: Item numerus à prima vnitate incipit, ergo dabitur prima, & vltima vnitas in infinito, quod est contra rationem infiniti, in quo nec est primum, nec vltimum accipere. Simili modo probatur, quod nec dabilis sit qualitas infinite intensa, nam positus quibuscunque gradibus qualitatis, potest adhuc alius & alius gradus addi; infinito autem nihil potest addi.

*Quarta*: si esset aliqua creatura infinitæ perfectionis, esset æqualis Deo in perfectione, sed

Nam, i.  
Ponuntur  
26. rationes  
probantes  
impossibilitatem  
infiniti actû,  
nequaquam  
diuinitatis.  
Prima.  
Secunda.

Tertia.

Quarta.

nulla